


Vide nunc & ipsas harmonias, & fidium proportiones in numeris: vbi Nota ima significat vocem integræ fidis; suprema, vocem partis breuioris; media, vocem partis longioris; Numerus imus indicat in quot partes fides diuidenda sit; reliqui, longitudines partium.



Atque hæ solæ voces mihi naturales videntur, propterea quòd habent indubitatum numerum. Cæteræ voces non possunt certa proportione ad iam positas exprimi. Nam vocem F fa ut, aliam ex C sol fa ut, desuper, aliam ex B mi molli inferiùs elicies, vt cunque hæ duæ perfectæ quintæ esse videantur. Sed ad rem. Prima & secunda concordia quodammodo sociæ sunt; sic etiam quinta & sexta. Cum enim imperfectæ omnes sint: binæ semper, una dura, altera mollis, conspirant, vt singulis perfectis quodammodo æquiparentur. Nec admodum diuersas diuisiones habent.

Nam $\frac{1}{6}$ & $\frac{1}{5}$ se habent ad inuicem, vt $\frac{5}{30}$ & $\frac{6}{30}$, quæ tantum vnâ trigesimâ differunt. Sic $\frac{1}{8}$ & $\frac{2}{5}$ se habent ad inuicem, vt $\frac{15}{40}$ & $\frac{16}{40}$. Differunt igitur tantum vnâ quadragesimâ particulâ.

Atque ita propriè loquendo, tantum quinque in Musica habemus concordias, ad numerum quinque corporum. Quòd si septem diuisionum in, 6, 5, 4, 3, 8, 5, 2, communem minimum diuiduum quæras, rursom inuenies 120, vt suprà, cum de diuisione Zodiaci ageremus; perfectarum verò concordiarum minimum diuiduum rursum 12: planè quasi perfectæ concordiæ à quadrato & triangulo Cubi, Tetraedri & Octaedri, imperfectæ verò à decangulo reliquo-

rum